

ita enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc omittit eum.

16 Et baptizatus Jesus ascendit statim ex aqua; et ecce, aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem quasi columbam, et venientem super ipsum. Et ecce, vox *adfuit* e cœlis, dicens, Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.

4 TUNC Jesus subductus fuit in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.

2 Et quum jejunasset dies quadraginta et noctes 3 quadraginta, postea esuriit. Et quum venisset ad eum tentator, dixit, Si Filius es Dei, dic ut 4 isti lapides panes fiant. At ille respondens, dixit, Scriptum est, Non solo pane *vivet* homo, sed ex quovis verbo prodeunte per os Dei (Deut. 8, 3).

5 Tunc assumit eum diabolus in sanctam urbem, 6 et statuit eum super pinnas templi: dicitque ei, Si Filius es Dei, dejice teipsum deorsum; nam scriptum est, Angelis suis praecipiet de te, et *ipsi* attollent te in manus, nequando offendas ad lapidem pedem tuum (Ps. 91, 11).

7 Dixit ei Jesus, Vicissim scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum (Deut. 6, 16).

8 Rursum assumit eum diabolus in montem sublimem valde, et ostendit ei omnia regna mundi, 9 et gloriam eorum: dicitque ei, Hæc omnia tibi 10 dabo, si prostratus adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus, Abi, Satana; scriptum est enim, Do- 11 minum Deum tuum adorabis, et illum solum coles (Deut. 6, 13).

Tunc missum fecit eum diabolus; et ecce, angeli accesserunt, et ministrabant ei.

12 QUUM audisset autem Jesus Joannem traditum 13 esse *in custodiam*, regressus est in Galilæam: et derelicta Nazareth, venit et habitavit in Capernaum

14 *urbe* maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim: ut impleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicentem, Terra Zabulon, et terra Nephthalim, *ad* viam maris secus Jordanem, Galilæa gentium: populus positus in tenebris vidit lucem magnam: et positus in regione et umbra mortis lux exorta est (Es. 9, 1. 2).

17 Ex eo tempore cœpit Jesus prædicare, et dicere, Resipiscite; appropinquavit enim regnum cœlorum.

18 Ambulans autem Jesus ad mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui dictus est Petrus, et Andream fratrem ejus, jacentes rete in mare: 19 (erant enim piscatores:) et dicit eis, Sequimini 20 me, et faciam vos piscatores hominum. Illi vero statim, omissis retibus, secuti sunt eum.

21 Tunc progressus illinc, vidit alios duos fratres, Jacobum filium Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navigio cum Zebedæo patre suo, sarcientes retia sua; et vocavit eos. Illi autem statim omisso navigio et patre suo secuti sunt eum.

23 OBIVIT autem totam Galilæam Jesus, docens in synagogis ipsorum, et prædicans evangelium regni, et sanans quemvis morbum et quemvis 24 languorem in populo. Et emanavit fama ipsius in totam Syriam; et obtulerunt ei omnes male affectos, variis morbis et cruciatibus detentos, et dæmoniacos, et lunaticos, et paralyticos; sanavitque eos.

25 Et secuta est eum turba multa a Galilæa, ac Decapoli, et Hierosolymis, et Judæa, et *regionibus* trans Jordanem *sitis*.

5 Quum vidisset autem turbam, ascendit in montem; et quum consedisset, adierunt eum discipuli 2 ejus. Tunc aperto ore suo docebat eos, dicens,

- 3 Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
- 4 Beati qui lugent: quoniam ipsi solamen recipient.
- 5 Beati qui sunt mites: quoniam ipsi terram hæreditario jure obtinebunt.
- 6 Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.
- 7 Beati qui sunt misericordes: quoniam ipsis misericordia tribuetur.
- 8 Beati qui sunt mundi corde: quoniam ipsi Deum videbunt.
- 9 Beati qui sunt pacifici: quoniam ipsi filii Dei vocabantur.
- 10 Beati quos persequuntur *homines* justitiæ causa: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
- 11 Beati eritis quum vos convitiis affecerint, et persecuti fuerint, et mentientes dixerint quidvis mali adversus vos, propter me. Gaudete et exultate; quoniam merces vestra multa est in cœlis: ita enim persecuti sunt prophetas qui *fuerunt* ante vos.
- 13 Vos estis sal terræ. Quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil valet amplius, nisi ut abjiciatur foras, et conculcetur a quibusvis.
- 14 Vos estis lux mundi. Non potest urbs occultari supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam subter modium, sed in candelabrum; et splendet omnibus qui sunt in domo. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona operâ, glorificentque Patrem illum vestrum qui *est* in cœlis.
- 17 Ne existimate me venisse ut dissolvam legem, aut prophetas: non veni ut *eam* dissolvam, sed ut *eam* impleam. Amen quippe dico vobis, Usquedum præterierit cœlum et terra, iota unum

- aut unus apex nequaquam præterierit ~~ex~~ lege, usquedum omnia facta fuerint. Quisquis igitur solverit unum ex præceptis hisce minimis, et ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: quisquis autem fecerit et docuerit, iste magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim vobis, Nisi abundaverit vestra justitia amplius quam *illa* scribarum et Pharisæorum, vos nequaquam ingressuros in regnum cœlorum.
- 21 Audistis dictum fuisse a veteribus, Non occides: quisquis autem occiderit, damnas erit judicii. Ego vero dico vobis, Quicumque irascitur fratri suo temere, damnas erit judicii: quicumque vero dixerit fratri suo, Raca, damnas erit confessus: quisquis autem dixerit, Fatue, damnas erit gehennæ ignis. Igitur, si munus tuum obtuleris ad altare, et illic memineris fratrem tuum habere aliquid contra te; relinque illic munus tuum ante altare, et abi; primum reconciliator fratri tuo, et tunc veni et offer munus tuum. Compone cum adversario tuo cito, dum es in via cum eo: nequando te tradat adversarius judici, et judex te tradat ministro, et in custodia conjiciaris.
- 26 Amen dico tibi, Nequaquam exibis illinc, usquedum reddideris ultimum quadrantem.
- 27 Audistis dictum fuisse a veteribus, Non mœcha-beris. Ego vero dico vobis, Quicumque aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter facit ut tu offendas, erue eum, et abjice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam. Et, si dextera tua manus facit ut tu offendas, excinde eam, et abjice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum ex membris tuis, ac non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam

31 Dictum est autem, Quisquis dimiserit uxorum  
32 suam, det ei libellum abscessionis. Ego vero  
dico vobis, Quisquis dimiserit uxorem suam, extra  
rationem scortationis, facit ut ea mœchetur: et  
quisquis dimissam duxerit, mœchatur.

33 Rursum audistis dictum fuisse a veteribus, Non  
pejerabis, sed reddes Domino quæ tu juraveris.

34 Ego vero dico vobis, Ne jurate omnino: neque  
35 per cœlum, quia thronus Dei est: neque per  
terram, quia scabellum est pedum ejus; neque  
per Hierosolyma, quia urbs est magni regis.

36 Neque per caput tuum jures, quia non potes  
37 unum capillum album aut nigrum facere. Esto  
autem sermo vester, Etiam, etiam, Non, non: quod  
autem supra hæc redundat, ab illo improbo emanat.

38 Audistis dictum fuisse, Oculum pro oculo, et  
39 dentem pro dente. Ego vero dico vobis, Ne  
obsistite improbo; sed qui te cædet in dexteram  
40 tuam maxillam, obverte ei et alteram: et ei qui  
velit tecum contendere, ac tunicam tuam capere,  
41 dimitte illi etiam pallium: et quisquis te anga-  
42 riabit *ad* milliare unum, abi cum eo duo. Pe-  
tenti abs te dato: et volentem mutuari abs te,  
ne aversator.

43 Audistis dictum fuisse, Diliges proximum tuum,  
44 et odio habebis inimicum tuum. Ego vero dico  
vobis, Diligite inimicos vestros, benedicite iis  
qui exsecrantur vos, benefacite iis qui oderunt  
vos, et orate pro iis qui vobis sunt infensi,  
45 et persequuntur vos: ut sitis filii Patris illius  
vestri qui est in cœlis: facit enim ut sol suus  
exoriatur super improbos ac bonos, et pluit super  
46 justos et injustos. Nam si dilixeritis eos qui  
diligunt vos, quam mercedem habebitis? nonne  
47 et publicani idem faciunt? Et si complexi fueritis  
fratres vestros solum, quid amplius facitis? nonne

48 et publicani ita faciunt? Estote igitur vos perfecti,  
ut Pater vester ille, qui est in cœlis, perfectus est.

6 ATTENDITE ne justitiam vestram exerceatis cor-  
am hominibus, ut spectemini ab eis: alioqui mer-  
cedem non habebitis apud Patrem vestrum qui  
2 *est* in cœlis. Itaque quum præstabis eleemosynam,  
ne curato buccina cani coram te, sicut hypocritæ  
faciunt in synagogis et in plateis, ut gloriam  
consequantur ab hominibus: amen dico vobis,  
3 Perceptam habent mercedem suam. Quum vero  
tu das eleemosynam, ne noverit sinistra tua quid  
4 faciat dextera tua; ut sit tua eleemosyna in oc-  
culto: Pater autem tuus, qui *te* aspicit in occulto,  
reddet tibi in propatulo.

5 Et quum orabis, ne esto ut hypocritæ; amant  
enim in conventibus et in angulis platearum  
stantes orare, ut appareant hominibus: amen,  
dico vobis, Perceptam habent mercedem suam.  
6 Tu vero quum orabis, introito in conclave tuum;  
et clauso ostio tuo, ora Patrem tuum in occulto;  
et Pater tuus, qui *te* aspicit in occulto, reddet  
tibi in propatulo.

7 Orantes autem ne eadem blaterate, ut Ethnicici;  
putant enim fore ut sua illa loquacitate exau-  
8 diantur. Ne igitur ipsis assimilamini: novit enim  
Pater ille vester quibus sit vobis opus, antequam  
vos petatis ab eo.

9 Vos igitur ita orate: PATER noster, qui *es* in  
10 cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum  
tuum; fiat voluntas tua, ut in cœlo, *ita* etiam  
11 in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis  
12 hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut et  
13 nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos  
inducas in tentationem, sed libera nos ab illo  
improbo. Quia tuum est regnum, et potentia,  
et gloria, in secula. Amen.

14 Nam si remiseritis hominibus ipsorum offensas,  
15 remittet etiam vobis Pater ille vester cœlestis: sin  
autem non remiseritis hominibus ipsorum offensas,  
nec Pater vester remittet vobis offensas vestras.

16 Quum autem jejunatis, ne estote, ut hypocritæ,  
tetrico vultu: deformant enim facies suas, ut  
appareant hominibus jejunare: amen dico vobis,  
17 Retulerunt mercedem suam. Tu vero, quum  
jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava;  
18 ut ne appareas hominibus jejunare, sed Patri  
tuo, qui *est* in occulto; et Pater tuus, qui *te*  
aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo.

19 Ne thesauros recondite in terra, ubi tinea et  
erosio corrumpit, et ubi fures perfodiunt ac  
20 furantur. Sed recondite vobis thesauros in cœlo,  
ubi neque tinea neque erosio corrumpit, et ubi  
21 fures non perfodiunt, neque furantur. Nam ubi  
est thesaurus vester, illic erit etiam cor vestrum.  
22 Lucerna corporis est oculus: itaque si oculus tuus  
simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit;  
23 sin autem oculus tuus improbus fuerit, totum cor-  
pus tuum tenebrosus erit. Ergo si lumen, quod est  
24 in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Nemo  
potest duobus dominis servire; aut enim unum  
habebit odio, et alterum diliget; aut uni ad-  
hærebit, et alterum contemnet. Non potestis  
Deo servire et mammonæ.

25 Propterea dico vobis, Ne estote solliciti de  
anima vestra, quid esuri sitis, aut quid bibituri;  
neque de corpore vestro, qua re sitis induendi.  
Nonne anima plus est quam alimentum, et corpus  
26 quam indumentum? Intuemini in volucres cœli;  
non enim serunt, neque metunt, neque cogunt in  
horrea; sed Pater ille vester cœlestis alit eas:  
27 nonne vos multo præstatis eis? Quis autem ex  
vobis solícite cogitando potest apponere ad

28 staturam suam cubitum unum? Ac de indumento  
quid solíciti estis? discite quomodo lilia agrorum  
29 augeantur: non fatigantur, neque nent. Sed dico  
vobis, Ne Solomon quidem cum universa gloria  
30 sua sic amictus fuit ut unum ex istis. Quod si  
herbam agri, quæ hodie exstat, et cras in cli-  
banum immittitur, Deus ita circumvestit; nonne  
31 vos multo magis, o exigua fide præditi? Ne  
igitur estote solíciti, dicentes, Quid edemus, aut  
32 quid bibemus, aut quo amiciemur? (nam omnia  
ista gentes requirunt:) novit enim Pater ille  
33 vester cœlestis vos indigere his omnibus. Sed  
quærite primo regnum Dei, et justitiam ejus; et  
34 ista omnia adjicientur vobis. Ne igitur estote  
solíciti de crastino: nam crastinus *dies* solícitus  
erit de *rebus* suis: sufficit diei suum malum.

7 NŒ judicate, ut ne judicemini. <sup>2</sup> Quo enim  
judicio judicatis, *eo* judicabimini: et qua mensura  
3 metimini, *eadem* contra metientur vobis. Quid  
autem adspicis festucam quæ est in oculo fratris  
tui; trabem vero quæ est in oculo tuo non ani-  
4 madvertis? aut quomodo dices fratri tuo, Sine  
ejciam festucam ex oculo tuo; et ecce trabes  
5 in oculo tuo? hypocrita, ejice primum trabem  
illam ex oculo tuo, et tum dispicies ut ejicias  
festucam ex oculo fratris tui.

6 Ne date *quod* sanctum *est* canibus, nec pro-  
jicite margaritas vestras coram porcis; nequando  
conculcent eas pedibus suis, et conversi lacerent  
vos.

7 Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis.  
8 pulsate, et aperietur vobis. Quisquis enim petit,  
accipit: et qui quærit, invenit: et ei qui pulsat,  
9 aperietur. Nam quis est ex vobis homo, qui, si  
filius ejus petierit ab eo panem, det ei lapidem?  
10 et, si piscem petierit, num serpentem dabit ei?

11 Si vos igitur, qui improbi estis, nostis dona bona dare liberis vestris, quanto magis Pater ille vester, qui est in cœlis, dabit bona iis qui petierint ab ipso?

12 Quæcunque igitur volueritis ut faciant vobis homines, ita et vos facite eis: ista enim est lex et prophetæ.

13 Introite per angustam portam: quoniam lata est porta, et spatiosa via, quæ abducit in exitum, multique sunt qui introeunt per eam. Quia angusta est porta, et stricta via, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt qui inveniant eam.

15 Cavete vero vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos cum indumentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus eorum agnoscetis eos. Num colligunt ex spinis uvam, aut ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fert fructus bonos; putris autem arbor fert fructus putres. Non potest arbor bona fructus malos edere, neque arbor mala fructus bonos edere. 19 Quæcunque arbor non fert fructum bonum, exciditur, et in ignem conjicitur. Nempe igitur ex fructibus ipsorum agnoscetis eos.

21 Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum; sed qui facit quod vult Pater meus, qui in cœlis est. Multi dicent mihi die illo, Domine, Domine, nonne *per* nomen tuum prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia eiecimus, et *per* nomen tuum multas virtutes edidimus? Tunc autem profitebor eis, Certe nunquam novi vos: abscedite a me qui operam datis iniquitati.

24 Quisquis igitur audit ex me sermones istos, et eos præstat, assimilabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petram: decidit autem nimbus et venerunt flumina, et flaverunt

venti, et inciderunt domui illi: sed non cecidit, fundata enim fuerat super petram. Et quisquis audit ex me hos sermones, et eos non præstat, assimilabitur viro fatuo, qui ædificavit domum suam super arenam: descendit autem pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et impegerunt in domum illam; et cecidit, et fuit casus ejus magnus.

28 FACTUM est autem, quum finisset Jesus sermones istos, ut percelleretur turba super doctrinam ipsius. Docebat enim eos ut habens auctoritatem, non autem ut scribæ.

8 DESCENDENTEM autem eum e monte, secuta est turba multa.

2 Et ecce, leprosus venit et adoravit eum, dicens, Domine, si velis, potes me purificare.

3 Extensaque manu tetigit eum Jesus, dicens, Volo, purificator. Statim igitur purificata fuit ejus lepra.

4 Tunc dicit ei Jesus, Vide *ut* nulli dicas: sed abi, ostende te sacerdoti, et offer donum illud quod imperavit Moses, *ut hoc sit* eis testimonio.

5 INGRESSUM autem Jesum Capernaumam adiit 6 centurio, precans eum, et dicens, Domine, puer meus projectus est domi paralyticus, et vehementer torquetur. Tunc dicit ei Jesus, Ego veniam et sanabo eum.

8 Et respondens centurio dixit, Domine, non sum dignus ut sub tectum meum ingrediaris; sed 9 solum loquere, et sanabitur puer meus: etenim ego sum homo sub *alterius* auctoritate *constitutus*, habens sub me milites: et dico huic, Proficiscere, et proficiscitur; et alteri, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit.

10 *Hæc* autem quum audisset Jesus, miratus est; et dixit iis qui sequebantur, Amen dico vobis,